



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Alatus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

Amor, quid cupiat, scit, quid sapiat, non scit.  
Et: Quid deceat, non videt ullus amans.

Unde Alciatus in emblematis ipsum exhibet ab apibus appetitum, ad sinum Veneris configentem: quod voluptatem sequatur dolor, sum lacrymæ, gaudia luctus.

IV. (d) *Alatus* est: nihil amore volucris, nihil levius; & mutabilius: cras oderit, quem amat hodie: quem manè deperibat, aversabitur vespere: quid dico, vespere? Citius hoc fecit Amnon, Davide genitus: odio quippe furens, cubiculō expulit, quam amore ardens paulo antè pellegerat. 2. Reg. 13. Vel etiam, quod amor amanti (uti timor) alas addat, expedito ad omnia.

V. (e) *Arcum* habet & *sagittas*, quia ferit eminus. Faces quoque gerit; nam ardore præsentes accedit, absentes desiderio vulnerat. Exemplum Dido, Carthaginis regina, cui Cupido occultum inspiravit ignem, fefellitque veneno. Primus aditus per oculos:

Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.

*Post oculos, in pectus, hinc in gremium illabitur.* De hoc Poëta.

*Reginam petit. hæc oculis, hæc pectori toto*

*Hæret, & interdum gremio fovet inscia Dido,*

*Insidet quantus miseræ deus.*

Utique miseræ. Nam quid sequitur?

*Est mollis flamma medullas*

*Interea, & tacitum vivit sub pectori vulnus.*

*Uritur infelix Dido, totaque vagatur*

*Urbe furens: qualis conjecta cerva sagittâ,*

*Quam procùl incautam nemora inter Cressia fixit*

*Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum*

*Nescius. Illa fugâ silvas, saltusque peragrat*

*Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.*

Nimirum obstandum principiis. In hac mora, si uspiam alibi, summum est periculum.

*Qui blandiendo dulce nutrit malum,*

*Serò recusat ferre, quod subiugum.* Senec. in Hippolyto.

VI. (f) Alciatus in Emblem. proponit Cupidinem permutantem cum morte tela: quæ dum uno in hospitio fortè commorantes, temerè de nocte sumerent, & Mors aurea Cupidinis spicula, hic Mortis ossea corriperet:

(d) *Cur alatum?* (e) *Cur sagittarius?* (f) *Cupidinis & Mortis spicula innata.*